

- dividebatur in quatuor partes.
- 57 Succedente tempore assignata fuit sua portio separata Episcopo, & quandoque alicubi cum portione fabricæ admixta.
- 58 Alicubi verò portio fabricæ fuit seorsim separata.
- 59 Dato tempore cepit disputari, qualiter portio fabricæ censeatur commixta, aut separata à portione Episcopi.
- 60 Tunc solum Episcopus tenetur ad fabricam, quando recepit portionem fabricæ admixtam cum sua portione.
- 61 Cum sola congrua Conciliari, non tenetur reparare fabricam.
- 62 Diētio (si supersint), importat conditionem.
- 63 Non probatur, quod Episcopo Comaclensi supersint redditus.
- 64 Intentio Trid. fuit, ut Episcopus habeat alimenta ad honestatem, juxta conditionem.
- 65 Congrua taxata in Concilio, debet esse libera ab omni onere.
- 66 Libera, idest sine diminutione.
- 67 Bene ordinata charitas exposcit, ut Episcopus, & quilibet beneficiatus primò sibi subveniat.
- 68 Congrua pro Episcopo non potest esse minor scutorum 700.
- 69 Ratione circumstantiæ loci, & personæ, potest esse major.
- 70 Rutilus Benzonus Episcopus, scripsit congruam Episcopi necessariam exigere ducentum supra mille.
- 71 Aloysius Riccius, judicavit quod Parochus habens tantum centum, juxta taxam conciliarē, non teneretur ad onus fabricæ.
- 72 Franciscus Leo, dicit taxam conciliarē esse necessariam pro alimentis, nec Parochum teneri ad fabricam, nisi redditus superexcedant.
- 73 Antonellus, quod Parochus non est cogendus ad reparaciones fabricæ, si fructus beneficii non excedant congruam centum ducatorum.
- 74 Quenam sint modicæ expensæ pro fabrica.
- 75 Ex Rota, congrua conciliaris debet esse libera ab onore fabricæ.
- 76 Congrua debet esse tanta, ut Episcopus commode vivat.
- 77 Attenta tenuitate reddituum, non potest esse abusus ad luxum.
- 78 Non viliter, & demisse, sentiendum est de dignitate Episcopali.
- 79 Populus magis movetur cognitione sensitiva, quàm Intellectuali.
- 80 Episcopi sanctitate conspicui, aulicos apparatus non reiecerunt.
- 81 Quinam redditus incerti, sint in congruam computandi.
- 82 Parochus tenetur recuperare bona Ecclesiæ iniuste occupata.
- 83 Nisi majores requirerentur expensæ, quàm lucrum speratum.
- 84 Vel nisi contra violentem raptorem, vi resistentem, esset agendum.
- 85 Notabilis est negligentia Parochi, si non describat in libris ad id paratis, nomina baptizatorum, matrimoniorum, & mortuorum.
- 86 Quæ ommissio, & negligentia, tamquam de re gravi, erit culpa mortalis.
- 87 Ideò libri, in quibus ea descripta sunt, debent diligenter custodiri.
- 88 Parochus in Visitatione repertus negligens in descriptione prædictorum, teneri ultra peccatum, ad damna, & interesse, judicatum est.
- 89 Paretiani habent actionem contra Parochum negligentem describere prædicta in libris, ad damna, & interesse.
- 90 Nec relevaret excusatio, quod descripsisset in cartulis postea deperditis.
- 91 Parochus negligens Visitare infirmos, maxime in Villis, graviter peccat, propter periculum damni spiritualis infirmorum.
- 92 Gravis esset culpa negligentia, si Parochus negligat discere, quæ ad suum officium spectant; nec sufficit, quod fuerit approbatus ad Parochialem.
- 93 Potest Episcopus vocare Parochum imperitum, ad novum examen.
- 94 Imperitus ad hunc effectum est ille, qui non habet scientiam sufficientem pro animarum cura.
- 95 Negligens esset Parochus, si non curaret recipere oleum eo anno benedictum, combusto vetere.
- 96 Limitandum tamen, si non potuit novum consequi, ex causa inculpabili.
- 97 Tenetur pro sua diligentia discordantes Parochianos ad pacem redigere.
- 98 Negligens graviter est, si omittat docere pueros Doctrinam Christianam.
- 99 Nec relevat excusatio, quod Parentes eos non mittant, vel ducant ad Ecclesiam tempore opportuno; & quibus remediis uti possit.
- 100 Non tenetur tamen singulatim particulariter singulos seorsim erudire; limita si nequeat aliter consequi occasionem opportunam.
- 101 Erudendi sunt pueri secundum eorum capacitatem.

- 102 Tenetur Parochus curare, ut vitia extirpentur.
- 103 Tenetur speciali modo curam paternam gerere pauperum.
- 104 Tenetur specialiter orare pro suis Paretianis.
- 105 Graviter culpatur Parochus, si permittat loca sacra, Vestes, & Vasa sacra indecenter tractari, & pollui.
- 106 Negligentia in custodia Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ, debet gravi poenitentia corripi.
- 107 Dignus, rejectis indignis, tenetur Sacramenta ministrare.
- 108 Negligens acquirere Ecclesiæ dum potest, sed potius acquirere sibi, quàm graviter peccet.
- 109 Negligens emittere Fidei professionem infra duos menses à die captæ pacificæ possessionis, non facit fructus suos.
- 110 Et si una Ecclesia dimissa aliam obtineat, debet iterum professionem Fidei emittere.
- 111 D. Jo. Cbristofomi dictum, quod ex Rectoribus animarum plures damnentur, quam salventur.
- 112 Inquisitio Criminalis non potest ad Reum transmitti, nisi in processu extent inditia, vel semiplena probatio delicti.
- 113 Stuprum puella qualiter probetur.
- 114 Ad Parochum de Jure spectat administrare oblata suæ Ecclesiæ.
- 115 Qui utitur Jure suo nemini facit injuriam.
- 116 Episcopus potest à Parocho exigere rationem de oblatorum administratione.
- 117 Judex non potest de ijs, de quibus in processu non constat, judicare.
- 118 Clericus alloquens cum muliere, præsumitur alloqui, vel de rebus bonis, vel de indifferentibus, nisi in contrarium probetur.
- 119 Facta dubia debent interpretari ad exclusionem delicti.
- 120 Monitio debet præcedere antequam processetur Parochus suspectus de Incontinentia, vel de Inbonesta conversatione cum mulieribus.
- 121 Tunc processari poterit Parochus, quando post monitionem adhuc est contumax in delicto.
- 122 Monitio præmittenda est de forma.
- 123 Monitio extrajudicialis, & paterna non sufficit.
- 124 Ad effectum puniendi prærequiritur monitio Judicialis.
- 125 Spectat ad fiscum probare contumaciam post monitiones.
- 126 Præmonitio æquivaleret Citationi.
- 127 Poena non debet excedere delictum, & beneficiato concubinario, vel inboneste conversanti, imposita est poena tertiæ partis fructuum beneficii.
- 128 Contra contumaces non imponitur poena pecuniaria.
- 129 Poenæ uti odiosæ non debent excedere proprium casum.
- 130 Poena non potest imponi, quæ non habetur in Jure.
- 131 Pro delicto dubio minor poena imponitur, quàm pro certo.
- 132 In poenis imponendis considerandæ sunt circumstantiæ, & qualitates personarum.
- 133 In foro Episcopali pecunia pro viaticis non exigitur, sed Episcopus propriis expensis mittit commissarios.
- 134 Pecuniæ pro viaticis iniuste exactæ sunt restituendæ.
- 135 Poena suspensionis in casu non poterat imponi, & num. 136.
- 137 Missio Commissarii, cum Notario, & Bivariis, num. 22., fuit nimis excessiva, & iniuste aggravans.
- 138 Poena exilii iniusta, & gravia afferens incommoda num. 139.
- 140 Referuntur Verba Rotæ satis elegantia, & aptata Casui.

ARTICULUS XXXII.

De Negligentia Parochorum.

Parochus qui est Pastor Animarum, & est Dux spiritualis militiæ, cujus munus est, animas sibi commissas ad cælum dirigere, & dum in hoc mundo degunt,

cū vita hominis super terrā nil aliud sit, quàm militia Job. c. 7., Parochi munus est in hac militia spirituali eas instruere, arma subministrare, quibus contra hostes spirituales possint pugnare, & Victores evadere,

est enim pervigil adversarius diabolus, semper circumiens quærens, quem devoret, cui resistendum est fortiter in fide, ut *Petrus Epist. primæ c. 5.*, nos docuit, hinc est, quod cura animarum dicitur ars artiū, *c. cum sit, de stat., & qualit.*, quia multa peritia, magna industria, & indeficiens vigilantia requiritur in Parocho, alioquin si oves suas, non curaverit, sed ex Parochi negligentia, & incuria perierit aliqua, culpabitur graviter, nam aliena vitia, quæ tollere negligit, in ipsius damnationem adducuntur in districtissimo, & horrendo, ac terribili Dei iudicio, *Ezechiel. 34. Ecce ego ipse super Pastores requirā gregem meum de manu eorum*, ut etiam notavit, *Barbosa de Officio, & pot. Paroch. p. 1. c. 3. num. 8.*, ubi quod salus animæ Parochi à multis pendeat, & semper Parochus deberet anxie, cum Davide orare, *psal. 18. ab alienis parce servo tuo.*

3 Et certum est, quod si Parochus prætermittat ea, quæ sunt de necessitate salutis animarum sibi commissarum, erit peccatum mortale, *Vivius commun. opin. lib. 1. opin. 3. num. 22.*, est enim negligentia Prælati peccatū mortale, ad tradita per *Roderic. q. 9. Regular. tom. 4. tit. 4. cap. 10. num. 11.*, quia nulla potest esse excusatio, si lupo oves comedat, & Pastor nesciat, aut dormiat, *c. Quamvis causæ de reg. Jur.*, quod expressit Deus per Prophetam *psal. 120. Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel*, alioquin facientis culpæ, participes est Parochus, qui negligit emendare, *c. facientis dist. 86., c. Negligere 2. q. 7.*

4 Quod si benè, & maturè considerarent Parochi, non sic facilè, non sic prompto animo, non sic oscitantèr animarum assumerent curam, & potius fèrent sacerdotes, quando ad huiusmodi assumuntur officium; at quia non ad oves, sed ad lucrum, ad honorem, ad sæculi huius gloriam intendunt oculos, ut advertit *D. August. tract. 123. in Joan. in medio*, ibi, *qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi, vel dominandi, vel aquirendi cupiditate, non obediendi, & subveniendi, & Deo placendi charitate, idè quod futurum est cœris non vident, animadvertente negligentes, quod tanto periculosus, quanto imparati grande adoriuntur certamen.*

5 Quanti damni Parochi negligentia possit esse causa, & fomentum, colligatur ex jactura animarum, quæ supra bona temporalia, supra Regna, & Imperia sunt æstimandæ, juxtà Doctrinam Christi. *Matth. 16., quid prodest homini, si universum Mundum lucretur animæ verò suæ detrimentum patiat, aut quam dabit homo commutationem pro anima sua*, pro cuius salute Deus non est dedignatus hominem factum, se ipsum humiliare usque ad mortem, mortem autem Crucis, & infinito sui sanguinis præcio animas à Diaboli eruere potestate.

6 Parochum negligentem, & inutilem damnabit Dominus, cum ad iudicium venerit, *sic Matth. 25., inutile servum eicite in tenebras exteriores, ubi erit fletus, & stridor dentium*, neque proderit ei sanctè vixisse quoad se, quasi dicens, non sum mechatus, non furatus aliena, nemini feci iniuriam, si ex sua negligentia una pereat anima, quia reus est illius, ut dicitur *in c. si præbiter, & c. sequenti 26. q. 6.*, in Cujus explicationem Christus Pastor adducit Parabolam, qui relictis nonaginta novem ovibus, unam quærit, unam sequitur, unam diligentius cuncta perlustrando pervadit, donec illam inveniat, nec finit illam perire, quam si Pastor neglexisset perquirere, periisset, idè *D. Prosper. lib. de vita cotemplativa c. 20.* ait, *illi, cui divini Verbi dispensatio commissæ est, etiam si sanctè vivat, & tamen perditè viventes, aut arguere erubescat, aut metuat, cum omnibus, qui eo tacente perierunt, perit.* Ità, & Heli sumus Sacerdos, quamquã in se bonus, gravitèr punitus est, quia filiorū animas sibi commissas ad rectam vivendi formam revocare neglexit, *c. licet Heli de Simonia.*

7 Prima, & culpabilior negligentia Parochi contingere potest in Sacramentorum administratione, quo Casu pro tali negligentia, Parochus pœna Episcopo arbitraria punitur; *Antonell. de regimine Ecclesiæ lib. 6. c. 4. num. 10.*; negligentia autem potest contingere duplicitèr; primò circa ritum; secundò circa ipsum Sacramentum; circa ritum continget, si non servet ritus, & ceremonias rituali Romano præscriptas, quæ sine peccato negligi nequeunt *Trid. sess. 7. Canone 13.*, & poterit esse mortale ex pluribus capitibus, vel ratione scandali, vel quatenus præberet suspicionem hæresis, cum plures hæretici huiusmodi ritus, & Ce.

& Ceremonias impugnent, spernant, & negligent, vel omittat in re notabili, propter quod *Trid. sess. 22. in decreto de observandis, & evitandis in Celebratione Missarū*, referens illud *Hyerem. c. 48.*, ait, *maledictum, qui facit opus Dei negligenter*, maledictio autem non nisi pro mortali incurritur, idè damnatis maledictionis dicit sententiam Divinus Iudex *Ite maledicti in ignem æternum, & sess. 7. c. 13.*, Anathema infligitur iis, qui dixerint receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti posse; pœna autem Anathematis, cum sit gravissima, non nisi pro mortali infertur.

9 Notandum tamen est, quod dicit (in solemnibus Sacramentorum administratione), quia ubi privatim propter necessitatem administrantur, cessat omne præceptum rituum, & Ceremoniarum, & consequenter eos ritus non servans non est negligens, neque culpatur.

10 Quod autem regularitèr negligentia in cura Animarum sit peccatum mortale docuit *Graffus lib. 5. Tom. 1. Consilior. sub tit. de Pœnit., & remis. conf. 8. num. 9., argument. ex tex. c. ea, quæ de statu Monach., Barbosa de off. Parochi par. 2. c. 17. num. 43., Ugulin. de officio Episcopis c. 15. §. 12. num. 14.*, ac propterea Parochus negligens in Sacramentorum administratione, removetur ab Officio, ad tradita per *Farinac. fragm. Crimen. parte 1. in V. Clericus n. 437.*, eo quia reus est animæ illius, cui Sacramenta non administrat, posset enim ex hac negligentia anima infirmi perire, *glos. in c. officium in V. sine Confessione de officio Archipresbiteri, & est tex. satis clarus in c. si præbiter pœnitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum 26. quæst. 6.* Ita qui puerum in necessitate non baptizat, si decedat, Parochus est deponendus, *c. quicumque de consecrat. dist. 4., Farinac. supra num. 438.*

12 Amplia primò, ut etiam tempore pestis teneatur Sacramenta necessitatis, ut est baptismus, & pœnitentia, suis ovibus administrare, etiam cum periculo propriæ vitæ, alias fugiens, aut negligens peccat mortaliter, quia tenetur ex iustitia, & meretur deponi, ut ex decreto *Martini III.* refertur *in c. Quicumque de consecrat. d. 4.,*

quod idem dicitur in quocunque alio vitæ periculo, nisi per alios ministros idoneos faceret *D. Tho. 2. 2. q. 185. art. 5., Facundez. in quinque Eccles. præcept., præcept. 3. lib. 3. c. 3. num. 1., Barbosa de off. Parochi part. 2. cap. 17. num. 12. 13. 14., Antonell. de regim. Eccl. lib. 6. c. 4. num. 14.*

13 Limita primò, quod tempore pestis poterit hæc Sacramenta necessitatis administrare per alium, dummodò idoneum Sacerdotem; immò id expedit, ut possit pluribus prodesse conversando sine suspensione infectionis, de qua limitatione, *Antonell. d. n. 14. refert declarationem Gregor. XIII., & Sacre Congreg., Diana p. 5. tract. 3. resol. 53., & 83.*

14 Limita secundò, si Parochus certus sit moraliter, quod infirmus non habeat conscientiam peccati mortalis, *Filiuc. tom. 1. tract. 3. c. 5. num. 99., Diana p. 5. tract. 3. resol. 93.*, quod tamen difficile est, nisi divina revelatione innotescat.

15 Amplia secundò, ut teneatur Parochus administrare Sacramentum Eucharistiæ, ita ut negligens tempore quo Paretiani tenentur communicare, ut tempore Paschatis, & in gravi, ac periculosa infirmitate, tunc certò mortaliter peccet; quando verò petunt ex mera devotione, & pietate; peccant etiam, quia tunc verificatur illud, *Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret illis*, an verò mortaliter semper, non audeo dicere, maximè histemporibus, quibus Regulares promptiores piis Fidelibus illud quotidie administrant, neque Parochorum negligentia in hoc hodie est in admiratione; scandalo, aut consideratione, *Navar. in c. placuit de pœnit. d. 6. num. 152.*

16 Amplia tertio, ut Parochus mortaliter peccet, si negligat facere denuntiationes matrimonii suorum Paretianorum, juxtà formam *Concil. Trid. sess. 24. c. 1. de reform.*, quæ est, ut tribus diebus festivis continuis publicè in majori populi concursu, publicentur matrimonia faciendæ, & licet dicat tribus diebus continuis, tamen intelligit debere de festis, quæ sibi non succedant immediatè, sed continuis intelligi, quatenus non debent interfluere alii dies festi inter unam denuntiationem, & alteram, dixerunt *Aloys. Ricc. prax. rer. fori. Eccl. fol. 224. nu. 4. in 2. edit., Ugul. de pot. Epif. c. 15.*